QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM,
Die Iouis XIX. Ianuarij,

M. ROBERTO PATIN,

DOCTORE MEDICO,
MODERATORE.

An fortes creantur fortibus?

RERVM quæ huius mundi ambitu continentur, nulla non id agit, vt ſeipſam conſeruet, eademque perpetuo maneat. Quemadmodum autem pulcherrimæ & ſummè diuinæ id vnum præ cæteris diuinitatis ſuæ ſpecimen obtinent, vt ſuapte naturâ nulli affectioni ſubiectæ, ſempiternæ ſint & immutabiles, ſic quæcumque mortali conditione genitæ ab ea perfectione abſunt, eò continenter aſpirant, vt quoniam penes ſubſtantiam ſingularem ſtare ſemper nequeunt, ſpecie ſaltem perſiſtant. Hoc porrò ſolâ aſſequuntur generatione, cunctis viuentibus eo fine à Natura tributa, vt ſuum in locum reponant aliquid ſibi ſimillimum, impendentemque ceu ſaxum Tantalo mortis neceſſitatem leniant, viuâ ſui relicta imagine. Scilicet quo nobilius eſt, & à ſcopo minus aberrat vnumquodque generans; hoc ſeſe in genito plenius repręſentat & exprimit. Propterea, qui ſolus intra ſe perfectiſſimè generat Pater Diuinus, ſuam ipſam numero planè eandem naturam impertit Filio, à quo alius eſt ſola ratione perſonæ, quâ non potuit non diſtingui. Res creatæ quia ad excellentem illum generandi modum non valent aſſurgere, ideo ſolum ſpecie cum re producta conueniunt: ſic homo hominem, leonem leo, oleam procreat olea. Ab hac lege ne tunc quidem receditur, cùm prępoſtero alienóque complexu iunguntur diuerſi ordinis animalia.

·264-

NEC verò in omni viuentium propagatione speciei duntaxat seruandæ studet Natura: sed etiam proli omni pacto procreatoribus assimilandæ, cùm sit alioqui diuersitatis amantissima: hæc eius operum ac votorum summa est, ad quã & contendit perpetuò, & peruenit sæpissime; in iis præsertim quæ vel ob mistas maris & feminæ vires, ex seipsis progignunt, nullo alterius congressu, vel sexu distincta, nullo φαντασίας motu distrahuntur ab his quibus intendunt Naturæ sacris. Quis enim, nisi fortè Deliacus aliquis gallinarius vsu doctus, ouum ab ouo discernere, in plantarum genere fruticem à frutice, lactucamve à lactuca, è qua orta est, aut in brutarum animantium familia partum adultum facilè internoscat ab iis, à quibus olim spiritum duxit? Homo ipse qui majori fingitur apparatu & studio, hac eadem conditione nascitur: & nisi parentes corporis mole, colore, habitu, oris & vultus specie referat, ac demum ab iis plerosque status & motus effingat, quodammodo monstrum est, & inchoatum opus naturæ labentis, siue illius facultatis ignauiâ, cuius est aptè tornare corpus, siue minùs tractabilis, nec ad omnia flexibilis materiæ vitio, vel næuos ipsos, & si quod illorum corporibus inest singulare signum, fœtus reddit sibi inusta velut domestica & gentilitia quædam insignia: nempe sic tota in eo est, vt quasi leuiùs peccatura, infelicem, aut etiam nullam edere malit, quàm dissimilem parentibus sobolem.

QVID moror? Nequidem satis est similem tibi se vel corpore tantum, vel vultu dederit, morum quoque filius sit oportet, in quo te totum tanquam renouatum ac denuo victurum contemplaris, cuius commodis magis studes, quàm tuis. Non possunt profectò mores certiùs, quàm stirpis genere pendi: vix quidquam enim habemus virtutis aut vitij, quod non traxerimus à parentibus: qui tametsi suum nobis non commodarint animum: ad nos tamen transmisisse videntur, quia instrumenta omnia quibus vtitur, & citra quæ omnino nihil agat, nobis suppeditauere. Quippe delibatus è singulis corporis partibus humor ille seminalis, qui parentis vtriusque quasi compendium est, & quidem animatum, vbi diuinâ comprehensus fauissâ hæsit in vitam, adeo secum minimè mendax earum omnium importat exemplar; vt formetur in hominem penè eundem temperie & effigie. Hinc cùm diuersæ in corporibus propensiones, & diuersi cuiusque impetus ac studia ab humorum, partium, & temperiei diuersitate sobolescant; quali corporis, animique valetudine parentes fuerint, tales ab his expecta liberos, putà biliosum ex bilioso, melancholicum à melancholico, à prudenti prudentem, à fatuo fatuum, à calculoso calculosum, sicque

phthisicum, epilepticum, podagricum à parentibus pari labe contaminatis.

NVNQVID verò suos habent Heroas casæ? Nonne quosdam nobiles non accepit, sed sua fecit virtus? & contrà multis longo sanguine censis Heroïbus, sua fuit dedecori proles? Ita quidem aliquando fit, sed nullâ naturæ culpâ. Mira omnino vis est ingenita à principiis, insuntque semini quædam semina velut elementa morum, quæ nisi multa se aliunde opponant, paria his ex quibus orta sunt, facient. Sed velut translata tenerior planta cælo soloque mutato, nonnihil mutat ingenium; sic quia multa sunt à quibus assiduò nostra temperamenta petuntur, cum ad rem pertineat, quâ quisque cæli temperatione, quomodo affectis compositisque sideribus, quibus in terræ plagis locisque viuat, quàm incommodis commodisve ventis, cibis, aquis vtatur, interdum & bona indoles ab his omnibus, aut etiam praua consuetudine, nimia magistrorum indulgentiâ, ignauiâ luxuriaque corrumpitur; & qui naris obesæ, diisque aduersis genitus aliquid ab ortu deprauatum habere videbatur, scitè sublatis idonea exercitatione vitiis, aduocataque conuenienti temperie, sibi primum obstructam gloriæ virtutisque viam citius quovis alio emetitur. Hac ratione nonnumquam in eodem Socrate, duplex est Socrates. Fere tamen ad mores natura recurrit priuatos, fixa & mutari nescia; & vt multa extent quæ corporis animique vim insitam acuant ac promoueant, multa quæ obtundant; numquam non interlucet aliquid, vnde facilè æstimes, quò quisque sponte sua, & ex natiua inclinatione propendeat. Quid ergo doctrina proficit? vt politiora, non vt meliora fiant ingenia: solida namque virtus nascitur magis, quam fingitur, ipsamque adeo nemo sine indole colet, aut litabit gloriæ.

OPTIME igitur ad procreandos liberos comparati sunt fortes illi & altioris sensus homines; qui summotis vitiorum omnium turbidis motibus, nec metu debilitati, nec impotenti vllo temeritatis incursu transuersi aguntur; sed moderationis consilijque beneficio inter res secundas & aduersas, eâ sunt firmitate mentis, quæ sanæ rationis modum numquam sinat expugnari: corpore autem sic vtuntur & valent, vt & cibo non plus indulgeant, quam ipsi sustinendo sit opus, & Veneris vsum intra coniugum caritatem, suscipiendæque prolis necessitatem, clausum teneant. Qui tam iustum in omnibus rebus temperamentum adhibere norunt, quis neget beatos? Verum longe feliciores liberos, quorum pectoribus præstans ille corporis, animique vigor,

ac cæteri paternarum virtutum numeri, nullo vocis miniſterio, nullo litterarum vſu, tacitis viribus cum ipſo ſpiritu infunduntur. Haud dubiè quæ vitam ab his eſt orſa principiis, cum ſe matura leuabit progenies, cùm ſanctam ſine labe domum, vitioque carentem viderit, atque adeo ipſam exempla domeſtica magnis authoribus animum ſubitura confirmarint; non poteſt non florere quibuſlibet bonis, hauſtaque à progenitoribus eorum ſemina, in tam vberes honeſtatis, conſtantiæ, atque integritatis fruges effundere: vt è ſapientiæ ſtirpe creatam dicas. Atque his tam fauſtis auſpiciis propagata ſoboles efficit, vt & genuiſſe iuuet, & generare libeat.

Ergo fortes creantur fortibus.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS BARALIS, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Garbe.
M. Paulus Courtois, Cenſ. Sch.
M. Petrus Morian.

M. Guillelmus Petit.
M. Ioannes le Preuoſt.
M. Ioannes Couſin.

M. Petrus de Beaurains.
M. Robertus Tuloüe.
M. Dionyſius le Soubs.

PARISIIS,

Proſtant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum in Platea Malbertina, ad inſigne D. Stephani.

cette these est la 1002e du tome VI in folio des theses de la faculté. — — —